# AD S.MUM D.N. CLEMENTEM 8. PONT. MAX. OCTAUIANI VESTRII BARBIANI...

Ottaviano Vestri Barbiani

# S.MO D. N. CLEMENTI VIII.

## Pontifici Maximo.

VT tua, magne parens, moderantia lumina terras
Quæ nunquam ignauo ſuccumbunt feſſa ſopori
Firma diu vigeant, & vitent damna ſenectæ,
Offerimus vitreos, quos ignea vis coquit, orbes
Quos manus artificis, cuiusq; vt poſtulat vſus,
Extenuat facili mille in diſcrimina gyro,
Lucidiùs quò res oculis ſubiecta niteſcat,
Nec viſus aciem vis temporis vlla retundat.
Jam tibi cunctarum legiſſe volumina legum,
Jam patrum monumenta diu luſtraſſe priorum
Sit ſatis, & vigili quondam indulſiſſe labori.
Nunc ſuprema tibi cælo delata poteſtas
Sacratos aliò ſuadet te flectere vultus,
Et verſare alias, animoq; capeſſere curas,
Vt cælum nutu reſeres, mundumq; gubernes.
Si tamen immotum menti ſedet, inter agendum
Ne inconſultum aliquid fluat, impalleſcere chartis,
Quod tua non renuit pietas, & prouida cura,

*Ne deſiderium, precor, exple, aut fide vigori,*
*Conteritur virtus oculorum ſæpe legendo;*
*Inq; omnes ſenſim ſine ſenſu deficit horas,*
*Nec redit, aut iterum vires conſumpta reſumit.*
*Ergo priſco operi, cùm res tantùm exigit vrgens,*
*Incumbe, & lucis gratiſſima dona tuere;*
*Dumq; optata ſalus tibi, firmaq; ſuppetit ætas,*
*His quibus omnis ineſt naturæ gratia, & artis,*
*Vt valeant oculi ſplendentibus vtere vitris.*

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Sanctitatis Veſtræ

Humillimus, & deditiſſimus ſeruus

Octauianus Veſtrius Barbianus